

in illius carceris sede, ubi nunc Marcelli theatrum est. Gracchorum pater, anguibus prehensus in domo, cum responderetur ipsum uicturum alterius sexus interepto: imo uero, inquit, meum necate: Cornelia enim iuuenis est, & parere adhuc potest. Hoc erat uxori parcere, & reipub. consulere. Idque, mox consecutum est. M. Lepidus Apuleia uxoris charitate post repudium obiit. P. Rutilius morbo leui impeditus, nunciata fratris repulsa in consulatus petitione, ilico expirauit. P. Catienus Philotimus, patronum adeo dilexit, ut haeres omnibus bonis institutus, in rogum eius se iaceret.

De artium plurimarum excellentia, Astrologia, Grammatica, Geometria. CAP. XXXVII.

Variarum artium scientia innumerabiles enitueres, quos tamen attingi par sit, florere hominum libatibus: Astrologia Berofus, cui ob diuinas predictiones Athenienses publice in gymnasio statuam inaurata lingua statuere. Grammatica Apollodorus, cui Amphictiones Graeciae honorem habuere. Hippocrates medicina, qui uenientem ab Illyrijs pestilentiam praedixit, & discipulos ad auxiliandum circa urbes dimisit: quod ob meritum honores illi, quos Herculi, decreuit Graecia. Eandem scientiam in Cleombroto Ceo Ptolemaeus rex Megalensibus sacris donauit c. talentis, seruato Antiocho rege. Magna & Critobulo fama est, extracta Philippi regis oculo sagitta, & citra deformitatem oris curata orbitate luminis. Summa autem Asclepiadi Pruriensi, condita noua secta, spreto legatis & pollicitationibus Mithridatis regis, reperta ratione qua uinum aegris medetur, relato de funere homine & seruato: sed maxime sponcione facta cum fortuna, ne medicus crederetur, si unquam inualidus ullo modo fuisset ipse, et uictor suprema in senecta lapsu scalarum exanimatus est. Grande & Archimedi Geometrica ac machinalis scientia testimonium M. Marcelli contigit, interdicto, cum Syracusae caperetur, ne uiolaretur unius, nisi fessisset imperium militaris imprudentia. Laudatus est et Ctesiphon Gnosius, a de Ephesia Dianae admirabiliter fabricata: Phylon, Athenis armamentario mille nauium: Ctesibus, pneumatica ratione & hydraulicis organis repertis: Dimocrates, metatus Alexandro condente in Aegypto Alexandria. Idem hic imperator edixit, ne quis ipsum alius quam Apelles pingere, quam Pyrgoteles sculperet, quam Lysippus ex aere duceret: quae artes pluribus inclaruere exemplis.

Item mira opera artificis. CAP. XXXVIII.

Aristidis Thebani pictoris una tabula, centum talentis rex Attalus licitatus est. Octoginta emit duas Caesar dictator, Medea et Aiace Timomachi, in templo Veneris genitricis dicaturus. Candaulus rex Bularchi picturam Magnetum exitij mediocris spatij pari repedit auro. Rhodum non incedit rex Demetrius, Expugnator cognominatus, ne tabulam Protogenis cremaret, a parte ea muri locatam. Praxiteles marmore nobilitatus est, Gnidiaque; Venere, praecipue uesano amore cuiusdam iuuenis insigni, et Nicome

dis estimatione regis, gradum Gnidiorum aere alieno permutare eam conati. Phidiae Iupiter Olympius quotidie testimonium perhibet, Mentori Capitolinus & Diana Ephesia, quibus fuere consecrata artis eius uasa.

De seruitiis.

CAP. XXXIX.

Pretium hominis in seruitio geniti maximum ad hanc diem (quod equidem compererim) fuit grammaticae artis Daphnidis, Cn. Pisarense uendente, & M. Scauro principe ciuitatis iij. M. d. cc. sestertijs licite. Excessere hoc in nostro auro nec modice histriones, sed libertatem suam mercati. Quippe cum iam apud maiores Roscius histrio H-S. quingenta annua merita prodatur: nisi si quis in hoc loco desiderat Armeniaci belli, paulo ante propter Tyridatem gesti, dispensatorem, quem Nero H-S. cxx. M. manumisit. Sed hoc pretium belli non hominis fuit, tam hercule, quam libidinis non formae Paezontem de spadonibus Seiani iij. M. d. mercante Sutorio Prisco. Quam quidem iniuriam lucrifecit ille mercatus in luclu ciuitatis, quoniam niam arguere nulli vacabat.

De praestantia gentium.

CAP. XL.

Gentium in toto orbe praestantissima una omni uirtute haud dubie Romana extitit. Felicitas cui praecipua fuerit homini non est humani iudicij: cum prosperitatem ipsam alius alio modo, et suo ingenio quisque terminet. Si uerum facere iudicium uolumus, ac repudiata omni fortunae ambitione decernere, mortalium nemo est felix. Abunde igitur atque indulgenter fortuna decedit cum eo, qui iure dici non infelix potest. Quippe ut alia non sint, certe ne lassescat fortuna metus est: quo semel recepto, solida felicitas non est. Quid quod nemo mortalium omnibus horis sapit? utinamque falsum hoc & non a uate dictum quod plurimi iudicent. Vana mortalitas, & ad circumscribendum seipsam ingeniosa, computat more Thraciae gentis: quae calculos colore distinctos, pro experimento cuiusque diei in urnam condit, ac supremo die separatos dinumerat, atque ita de quoque pronunciat. Quid, quod iste calculi candore illo laudatus dies, originem mali habuit? Quam multos accepta afflixere imperia? quam multos bona perdidere, et ultimis mersere supplicijs? Ista nimirum bona, si cui inter illa, hora in gaudio fuit. Ita est profecto, alius de alio iudicat dies, & tamen supremus de omnibus: ideoque nullis credendum est. Quid quod bona malis paria non sunt, etiam pari numero: nec letitia ullo minimo maerore pensanda. Heu uana & imprudens diligentia: numerus dierum comparatur, ubi queritur pondus.

De felicitate summa.

CAP. XLI.

Vna seminarum in omni auro Lampido Lacedaemonia reperitur, quae regis filia, regis uxor, regis mater fuit: Vna Pherenicum, quae filia, soror, mater Olympionicarum: Vna familia Curionum, in qua tres continua serie oratores extiterunt: Vna Fabiorum, in qua tres continui principes senatus, M. Fabius Ambustus, Fabius Rullianus filius, Q. Fabius Gurges nepos.

b Varia